



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**De Prima Scribendi Origine Et Vniversa Rei Literariæ
Antiqvitate**

Hugo, Hermann

Antverpiæ, 1617

Cap. XXXIV. De inuentione Typographiæ. Sinensibus ea assignata. Diuersa
& facilior illorum quàm nostra.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71265](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71265)

210 DE PRIMA SCRIBENDI ORIG.
Dionysius & Plinius; Seruius item in illud Vir-
gilij libro XI.

— *inimicâq; nomina figi.*

Vexillis inscripta Ducum nomina. Sueton. Ve-
spas. cap. VI. *Nomenq; eius vexillis omnibus sine morâ*
inscripserunt. Vide Lips. De milit.

Denique vt facerâ narratione finiam hoc ca-
put; Traianus Imperator, muris, & cippis, & ædi-
ficiis ferè omnibus nomen suum inscribi iube-
bat; vnde insigni ioco appellatus est *Herba pa-*
rietaria. Dignus sanè, cuius nomen ob insignem
suam sæuitiam in Christianos è cippis omnibus
expungeretur, aut luto tegetur, quemadmo-
dum Domitiano factum esse ad Traianum ipsum
scripsit Plinius in Panegyri suâ, ritu in Tyran-
nos olim obseruato. De quo vide Ioan. Casta-
lionem Variar. cap. xx.

CAPVT XXXIV.

De inuentione Typographia.

QUIA de scripturâ nata est Typographia,
ex re esse duxi de eâ hoc loco agere. Est
enim Typographia scriptura quædam inuersa,
quæ literas ordine contrario exprimit atque ipsæ
literæ compositæ sunt. Hanc non iniuriâ Car-
danus lib. XVI I. De Artibus, vocauit Artem nul-
li nec vtilitate, nec dignitate, nec subtilitate se-
cundam. Sed iniuriarum agere possem cum Hen-
rico Salmuth, interprete Pancirolli, qui quòd
Germanos, gentem suam, maximi subtilissimi-
que inuenti laude ornare vellet, nimis indignè
tulit

tulit à nostro Ioan. Petro Maffeo eam lauream Sinensibus vindicari lib. vi. Histor. Indicarum; quando tamen cum Maffeo sentiunt (quos ipsemet Salmuth testes laudat) Garzias ab Horto, Ioannes Gonzaluus Mendoza, Iouius: addam ego, Petrus Gregorius Tolofas lib. xv. De Repub. cap. 111. & Nicolaus noster Trigaultius, qui recens è Sinâ in Europam rediit; exque ipsis Sinensium Annalibus, quos ipse se excussisse diligenter affirmat, ita de typis scripsit lib. i. cap. iv. *Typographia apud Sinas antiquior est aliquanto quàm apud Europæos: nam à quinque retrò sæculis certum est ab eis vsu receptam: neque desunt qui asserunt, priùs eâ Sinas fuisse vsos, quàm in hanc mortalitatem immortalis sese Deus abiicisset.* Quam verò diuersa sit, quantoque facilius illorum quàm nostra imprimendi ratio, ibi qui volet, legat. Pro certo igitur & explorato hoc habendum est. An autem à Sinensibus ad Germanos hæc ars delata sit; an fortè (quod fieri potuit) apud Germanos diuinâ quadam ingeniorum similitudine denuò inuenta sit, disputent Germani & Sinenses, ne mihi nimium succenseat Salmuthius, qui pro se adfert Polydorum, Guilandinum, Cassanæum, Ramum, & Beroaldum. Certè Iunius in Bataviâ suâ vindicat Harlemiensibus primam typorum inuentionem: ita omnes mirantur & exosculantur eam artem, vt singuli velint eam suam fuisse filiam.

Porro quomodo hoc artificium exercendum sit, accuratissimè scripsit Christophorus Milæus libro 11. Histor. vniuers. rerum, quò remitto Lectorem.